rum scripta recensita veniamus. Blondum Vorburgius recudi fecit, Onuphrium de Comitiis olim Hortlederus edidit, & mox cum supplemento edet πολυμαθέστατος Lambecius; Grotius

--- *Quod Cassandri veracia Scripta teruntur*
Cordesio grates hæc bona propter agit.

Erasmica recensere, emaculare, & defendere, ut & audio, destinaverat Mallincrotius. Allatiana & Niciana typis Batavis emisit Nihusius; Galilæi ~~Institutiones~~ Gassendus, ejusdem circinum Proportionalem Berneggerus, ambo viri non in matheſi magis, quam omni eruditione versatissimi, alter in Germania, alter in Gallia, renovata veste induerunt. Berneggeri hujus synopsin Lipsianæ politicæ doctissimus Joh. Andreas Bosius, Clapmarium Schookius, Wovverium à plagii impacto crimine vindicatum solidissimæ vir eruditionis Jacobus Thomasius, Seldeni jus naturæ & Gentium (& Æneæ Sylvii Fridericum III. propè diem editurus;) Bœclerus suo merito longè celeberrimus, denuò produxere; nec Franciscus Mercurius Helmontius ingenio suo indignum duxit Octavium Pisani notiorem orbi reddere, ~~tum~~ Jacobus quoque Masenius Brovveri Trevirenses Annales edidit, & sub prelo sunt. Inprimis verò apud Germanos Hermannus Conringius, apud Gallos Gabriel Naudæus, ambo Medici, ambo variè uberrimèque docti, aliorum fœtus propè expositos & desertos suscepere: Naudæus Niphi, Cardani, Campanellæ; Conringius ipsius Naudæi & Scioppii, Machiavelli, Hopperi, Claramontii, Starovolscii, Cassandri, Wicelii, Viotti. His tot tantisque correis vituperium notamque incurrere, equidem parum formidandum Judico.

Nunc, ad autorem ipsum quem edemus, argumentumque quod tractat, accedendum est, Marium Nizolium Brixellensem orbis eruditus pene penitus credo ignoraret, nisi Grammaticis laboribus inclaruisset, quibus meritò illud Virgilianum de apibus accomodes, In tenui labor, at tenuis non gloria.

Et ita sæpe factum est ut viri docti iis maximè Scriptis famam impetrent, à quibus minimè sperabant. Quis enim dubitet Nizolium & majorem sibi celebritatem à Philosophiæ Reformatio-